

terpretibus obverti in contrariam partem, de quibus vel ipsæ maximopere inter se discrepantes versiones solæ testari satis possunt, quarum nonnullæ, supra citatæ, sic adornatæ sunt, ut appropinquationis Nominis divini vix mentio quædam injiciatur, quæ tamen præcipuam totius oraculi partem constituit. Tum vero & GEIERUS, *in Comm. in hunc locum*, existimat, copulam *Vau* causaliter hic explicari non posse, ut sensus hic sit, *celebrandum esse Deum, quia appropinquationem Nominis sui, seu præsentiam, abunde comprobaverit auxilio mirabili ac tempestivo*, vel ut habet versio Lutheri: **Wir danken dir, wir danken dir, und verkündigen deine Wunder, daß dein Nahme so nahe ist.** Præfert potius sententiam R. SALOMONIS, qui propinquitatem Nominis divini per epexegeſin interpretatur, *de frequente Nominis Dei devote laudati repetitione*, quo posito, sensus oraculi nostri hic esset, quem & Vulgata & Septuaginta-Viralis Versio, supra citata sistit, quo fideles se ipsos concitent ad laudem Nominis divini, *confitebimur*, inquentes, *confitebimur tibi, Deus, & invocabimus nomen tuum, sit illud propinquum*, scilicet labiis nostris: *Narrabimus mirabilia tua.* At enim vero, cum 1. hæc interpretatio (quam & SEB. SCHMIDIUS, versione sua videtur comprobasse, supra citata) solo illo nitatur fundamento, quod copulæ *Vau* significatio propria, quæ alias est copulativa, hic præter necessitatem defertur, cum præterea 2. epexegeſis quædam sic admittatur, quod & mihi videtur præter necessitatem fieri non debere, cum & 3. illud, quod præcipuum erat in ipſo textu, nempe appropinquatio Nominis divini, prætermittatur, merito manemus in ea, quam supra suppeditavimus, explicatione, secundum quam & ipse scopus totius Psalmi LXXV multo clariori modo nobis innotescit. Confirmant nos mirifice, præter LU-

THERUM